



# NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCCXXII.

DIE XI. FEBRUARII.



*Aaristis, a. d. 16. Jan.*

Rex noster Christianissimus decreuisse dicitur ut uxori Lawii duodecim milia librarum gallicarum ex ærario publi-

co quotannis solvantur, Marchioni vero Chastrensi præfecto Montis Pessulani, qui virginem nobilissimam Levyanam matrimonio sibi iunxit, quinquaginta milia. Cum nuper Dux Carnutensis, Ducis Aurelianensis filius febrî vehementiore tentatus & paullo post exquisitissimis doloribus capitis correptus fuisset, neque medicamentis variis adhibitis levari morbus potuisset, id tandem consultum fuit a medicis ut ei trium dierum spatio partim in brachiis partim in pedibus venæ quinquies inciderentur, quo factò melivscule ei statim esse cœ-

pit, adeo ut nullum amplius vitæ periculum sit metuendum. *Baro Pentenriederus* Orator Cæsareus, cum ante triduum Ducem Aurelianensem conuenisset, id sibi in literis per cursorem extraordinarium ab Imperatore missis iniunctum esse significavit, ut nulla interposita mora ad conuentum Cameracensem se conferat, regemque Galliæ, ut suos legatos eodem quam primum mittat, decenter roget. Dux *Gesuresius*, ex primis Galliæ, quos *Pares* appellant, omnibus se abdicavit muneribus, quæ in filium eius translatum iri existimamus. *Cardinalem Robanium* vix ante dies novem in hac vrbe conspicimus, quippe quem aliquanto diutius quam existimaveramus, *Augustæ Taurinorum* substitisse intelleximus. Post eius aduentum Regem sacro, ut appellant confirmationis, initiatum iri ferunt, quam

ob

ob causam solemnium rituum magister, omnia, quæ ad hanc cerimoniam pertinent, e fano Dionysii in hanc urbem transferri curavit. Proxima vero æstate regem certo coronatum sacroque oleo adpersum iri aiunt, eique actui *Robanum*, vel, quæ plurimorum est opinio, *Boisium Cardinalem* destinari, eaque de causa Episcopum Rhemensem tamdiu vacuam relinqui, vt ne recens creatus Episcopus ius suum vrgere, atque munus vngendi regis sibi vindicare queat. E litteris Augusta Taurinorum ad nos perlatis intelleximus, principem quendam, cuius nomen reticetur, cum rege sardiniaæ foedus percussisse, de bello incertim defendendo & inferendo; \* vnde nõ inanis est metus, ne futuro tempore noui bellorum in Italia motus exoriantur. Si quid enim rumori, qui vulgo emanauit credendum, rex noster cum duce Aurelianensi, eidem foederi stabiliendo intentus est.

\* *Defensue und offensue allians.*

*Londino, a. d. 9. Ianuar.* Homo quidam fraudulentus, Benjamin Chieldius dictus, qui, immutato sæpius nomine, plurimas peruagatus est prouincias, & fere omnia, quæ scripserant alii, calamo imitari potuit, Salisburia deprehensus, & captiuus in hanc urbem deductus fuit. Crimini potissimum ei datur, quod cursoribus publicis, qui Bristolio ad nos commeare solent, litteras, quæ mensariis tradi debebant, clanculum surripuerit, & hac ratione multum sibi parauerit pecunia. præter matrem autem, & sororem, in fraudis societatem adsciuit Josiam Rodesium, Guilelmum Murpheium, Robertum wilkinsonium, & Robertum Sympsonium, qui, simili ratione, in carcerem abrepti, facinus professi sunt. Cum nuperrime, magna Britannia patres conscripti, regem orandum cense-

rent, vt cum curia inferiore commicaret, quæ Bingio, summo classis præfecto olim dederit in mandatis, illi autem repulsam ab eo ferrent, litteris palam editis, ita ea de re suam exposuerunt sententiam:

“Ne nobis, ac posteris fraudi sit eiusmodi repulsa, his litteris declaramus:

„I. Inaudito plane exemplo preces rejectæ fuerunt, quibus rogauimus, vt certiores fieremus eorum, quæ in mandatis accepit quondam classis præfectus; Immo Rockii, Schoueliique exemplis, e commentariis nostris, oppido probare possumus, quod in eiusmodi rebus magni momenti numquam in diuersam abierint sententiam, quibus patriæ salus curæ cordique fuisse, nouimus. Præcipue, cum ipse classis præfectus hac petitione in nullam culpæ adducatur suspicionem, sed tantummodo dispiciatur, qua ratione res gesta fuerit.

„II. Ita nempe rationi congruum esse, arbitramur, vt mandatum, cuius auctoritate pugna naualis inter Britannicam, atque Hispanicam classem in mari mediterraneo comissa fuit, cum patribus vtriusque curiæ communicetur, cum bellum præsertim ab neutra parte solemniter esset indictum, & præterea quidam ex aula Britannica ablegatus Mantuæ Carpetanorum viueret, qui componere illo tempore studebat, lites inter vtrumque populum obortas, qui tutum tectumque ab omnibus injuriis, intercedente eiusmodi negotiatione, se credere debebat.

„III. Quamobrem, nisi ad oculos nostros peruenerit huiusmodi mandatum, & rationem, qua adductus rex illud dederit classis præfecto, accurate perspexerimus, in eam omnino venimus sententiam, injustum fuisse bellum, ( quod tamen iustissimum fuisse,

„no-

„nobis huc vsque persuasimus ) quo,  
 „pugna illa nauali, impliciti fuimus.  
 „In primis quum bellum illud cum ma-  
 „ximo gentis nostræ damno conjunctum  
 „videmus. Namque illo tempore, quo  
 „id fuit susceptum, omne inter nos,  
 „Hispanosque commercium, quod caris-  
 „simum tamen nobis esse debebat, sub-  
 „latum fuit, præcipue cum rebus paca-  
 „tis valde indigeret magna Britannia,  
 „vt alieno illa se ære, quo valde obru-  
 „ta erat, explicare posset: Et sane negle-  
 „cta Hispanorum amicitia, quæ semel  
 „extincta, haud facile resuscitari solet,  
 „illis, qui bonis nostris inuident, occa-  
 „sionem suppeditauit, redeundi in gra-  
 „tiam cum Hispanis, quos hac ratione  
 „a nobis alieniores reddideramus. Nam  
 „vni huic bello tribuendum, existima-  
 „mus, vt Galli cum Hispanis in ami-  
 „citiam denuo coalserent, cum e re  
 „potius sit magnæ Britannia, vt duæ  
 „illæ gentes perpetuo a semet inuicem  
 „dissideant. Atque hinc jure ac merito  
 „nobis est timendum, ne hæc amicitia  
 „aliquando huic regno fatalis existat.  
 „Vt paucis nos expediamus, nihil ex  
 „hoc bello emolumenti ad nos redun-  
 „dasse, censemus, quoniam jam ante  
 „commerciorum ratio ab vtraque parte  
 „pulcherrime constituta fuerat.

*Hagæ Comitum. a. d. 23. Janu.* Nudius  
 abhinc tertius *Sonmelsdykius* Vicarius  
 classis præfectus, cum *Chamberio* qui le-  
 gati Gallorum scriniarius a libellis est,  
 & nonnullis proceribus reipublicæ con-  
 silia de rebus magni momenti contulit.  
 Hæsterna die nobillissimus vir, Nico-  
 laus Habetus, senator ac multis ab an-  
 nis præses vrbis Harlemi, morbo apo-  
 plectico correptus vitam finiit, cuius vt  
 vita omnibus fuit iucunda, sic mors  
 quoque acerba est. Proceribus nostris  
 stat iam sententia, Algerianos ad pa-  
 cem nobiscum renouandam vi cogere,

quo fine plures quam anno superiori  
 naues exornandas curant, ad oppu-  
 gnandam eorum metropolin primo vere  
 mittendas. Legatus Portugalicus, litte-  
 ris, quas a rege suo proxime accepit,  
 nuntiatum sibi dicit, litem Winckfel-  
 dii mercatoris anglicani, ex sententia  
 regis magnæ Britannia breui compositum  
 iri. Ceterum multa hic de nouis quibus-  
 dam inter varios principes fœderibus  
 constituendis, multi loquuntur, de  
 quibus tamen nihil adhuc eerti est  
 quod scribamus. Augustus Romano-  
 rum Imperator totus in eo est, vt con-  
 uentus Cameracensis primo quoque  
 tempore institui queat; sed Gallia at-  
 que Magnæ Britannia reges, nihil ad-  
 huc ea de re sollicitos esse, ferunt, hunc  
 enim id prius experiri velle, qua ratio-  
 ne ea quæ sibi cum Hispanis interce-  
 dunt, componi queant, nihilominus  
 tamen sperant multi, fore, vt breui  
 certiora hac de re nuntientur.

*Bononia, a. d. 2. Ianuarii.* Eminentis-  
 simus Cardinalis Rohanius, cum legato  
 gallico huc misso, Ducem Mutinensem,  
 principi hæreditario eiusque coniugi  
 prorsus iam reconciliasse dicitur, quo  
 facto hic vna cum coniuge *Regium Lepidi*  
 profectus est, vbi per tempus aliquod  
 subsistet.

*Augusta Taurinor. a. d. 4. Jan.* Ferunt  
 tabulas fœderis connubialis, inter prin-  
 cipem nostrum hæreditarium cum prin-  
 cipe Sultzbachiensis initi, cras vel pe-  
 rendie publicatum iri.

*Venetis, a. d. 24. Jan.* Comes Galbe-  
 sius, qui Neapoli nuper ad nos accesser-  
 rat, Viennam profectus est, vt insi-  
 gnia ordinis Aurei Velleris, cui ab Im-  
 peratore adscriptus est, suscipiat. Su-  
 periori die Iouis Comes *Franciscus Borja*,  
 ab amplissimo Reipublicæ senatu ele-  
 ctus est, qui legationem in aula Cæsarea  
 obeat.

*Holmia, a. d. 24. Jan.* Ante paucos dies cursor extraordinarius Petropyrgo missus accessit, atque litteras Campredonii, in quibus is, qua ratione partibus muneris sui in aula Russica defunctus sit, exponit, Litteræ vero hæc non præsentate senatu regni, vt alias moris fuit, sed regi soli sunt traditæ. Ceterum spes iam est haud dubia, fore, vt publicus regni conuentus primo quoque tempore indicatur.

*Petropyrgi, a. d. 4. Jan.* Legationis Danicæ Cancellarius Vitam nuper cum morte commutauit. Naues bellicæ, quas hic ædificant, mense martio perfici, neque minori quam antehac studio ceteri quoque apparatus bellici fieri debent.

*Varsauiæ, a. d. 26. Jan.* Ex Podolia litteras accepimus, quibus nuntiatur, Choczimi pestilentiam incidisse, quapropter vereri incolas regionis illius, ne ea, cum & frigus sit remissius, & pluuiæ crebriores, latius serpat.

*Constantinopoli, a. d. 27. Decemb.* Summus sacrorum apud Turcas antistes, qui omne Christianorum nomen magno prosequitur odio, id nunc imprimis agit, vt milites, quos sibi fauere animaduerit, ad arma denuo concitet, haud quieturus ante, quam bellum reipublicæ Venetorum conflauerit. Nam etiam si in sanctiore haud ita pridem concilio decretum fuit, vt controuersia, quæ Turcis, Olcimienfium caussa, cum Venetis intercesserat, plane componeretur; nihilominus tamen plus iusto fauisse imperatorem Turcarum Venetis, inquietus & turbulentus homo nunc clamat, & valde necessarium esse, adfirmat, vt, conuocato iterum concilio, res de nouo in deliberationem veniat. Equidem, imperatorem pariter, ac summum militiæ præfectum, ab eiusmodi intempestiuis consiliis ma-

gnopere abhorrere, nouimus; sed quoniam summum sacrorum antistitem illis perpetuo refragari, & legem Mahumedis sibi datam vbivis locorum iactitare, audimus, facile fieri posse, arbitramur, vt nouum Christianis suboriatur bellum, præcipue cum ægre Turcæ ferant, dum munitissima onpida, Bellogradum, & Temeswariam, sibi erepta, & in Christianorum redacta fuisse potestatem.

*Vienna, a. d. 4. Febr.* Superiori die saturni, ludi scenici quales apud Italos in vsu sunt, \* in aula instituebantur, quos & ipse Imperator cum vniuersa domo augusta spectabat.

\* *Italiânische Burlesque.*

*Alia, a. d. 7. Febr.* Nudius quartus Imperator consilio Sanctiori interfuit. Eadem die Antoninus Francus N. ob multa quibus se polluit furta atque sacrilegia, capite prius plexus, deinde rogo impositus est. Heri peditum aliquot centuriæ, legionis Liuingsteinianæ, quæ nuper exauctorata est, ex Hungaria huc accesserunt; has iam supplendis legionibus cæsareis, quæ in partibus ad Rhenum Superiorem sitis, hiberna habent, destinatas esse ferunt, quapropter eodem iter suum dirigere eas oportet.

*Posonii, a. d. 11. Febr.* Tametsi Bacchannaliorum solemnia, hic quoque adulto illo more, cum epulis, tum Sallationibus in seram noctam subinde protractis, pasim concelebrari videas; *Excelsa* tamen *Commisio*, non cessat diebus singulis negotia Religionis, & quæ eius caussa scripta porriguntur, procurare & examine. Modra accepimus, diebus superioribus, homines nefarios, Templum *Parochiale*, quod extra urbem situm est, ausu prorsus sacrilego, nocte concubia perfregisse, sacramque supellectilem, haud mediocris pretii abstulisse.